ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO FRIDERICO IV.

COMITI PALATINO AD RHENUM, S. ROM. IMPERII ARCHIDApifero & Electori, Duci Bavariæ, &c. Domino ſuo Clementiſſimo.

ILLVSTRISSIME Princeps Elector, Domine Clementiſsime, Niſi nota eſſet Illuſtriſsimæ Celſitudini Tuæ tota vita mea; prolixè me excuſarem, quod ego homo Theologus, quaſi oblitus vocationis meæ, & Matheſin excolam, & eius generis ſcripta in lucem edam. Nec enim dubito, quin multi ſint hoc ſtudium meum calumniaturi, niſi paratam mihi apud Illuſtriſsimã Celſitudinem Tuam defenſionem eſſe ſciant. Et certè, ſi ego tempus, quod